

presbiteri voluntate et rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus penitentem invitet carnem manducare et bibere vinum, nisi pro eo ad presens elmosinam fecerit. Nullus presumat baptizare nisi in vigilia pasche et penthecosten, nisi pro periculo mortis. Unusquisque fontes habeat, et si non potest lapideos, habeat aliud vas ad hoc paratum in quo nichil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris symbolum et orationem dominicam insinuetis. Jejunium quatuor temporum et rogationum et letanie majoris plebibus vestris omnimodis observandum insinuate; feria quarta ante quadragesimam plebem ad confessionem invitate, et ei juxta qualitatem delicti penitentiam injungite, non ex corde vestro, set sicut in penitentiali scriptum est. Tribus temporibus in anno, id est in natale Domini, pascha, et penthecosten, omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exortamini. Eulogias post missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus induatur vestibus laicalibus. Nullus rem aut possessionem aut mancipium ecclesie vendere aut commutare¹⁾ aut quocunque opere servili a vespera in vesperam celebrare docete. Cantus et choros mulierum in atrio ecclesie prohibete. Carmina diabolica que super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, et cachinnos quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus presumat illis missam cantare, set et plebibus vobis commissis hoc anuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus denuntiate ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, et ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, et ut alterius sponsam nemo ducat. Porcarios et alios pastores vel dominica die ad missam facite venire. Patroni filiis suis symbolum et orationem dominicam insinuent aut insinuari faciant. Crisma semper sub sera sit, aut sub sigillo propter quosdam infideles. Volumus autem, fratres karissimi, quatinus que nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studentis operibus adimplere. Prestante domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

1) Hier ist augenscheinlich eine Lücke, obgleich in der Hs. keine Spur davon ist.